

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

D.lusto Ionaë, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

rimarum uirtutum officia discere. Nam hæc scholæ nostræ non solum doctrinæ & literarum, sed multo magis uirtutis et humanitatis officia esse debent. Est autem alumna aliarum uirtutum, pietas erga præceptores. De hac re plura scriberem, nisi scirem uos hæc præcepta & legere quotidie, & à uiro optimo patre uestro audire. Bene & feliciter ualete.

D. Iusto Ionæ, S. D.

Reuerende domine Doctor. Honestissima matrona coniunx tua, & de te & dulcissimis filiis ualde sollicita fuit, cum flumen largius intumuisse audiuissemus. Nam de anne Sala ante literas uestras nihil audiuius. Gratâ igitur rem & honestissimæ coniugi tuæ & nobis fecisti, quod literas de commoratione uestra in Salinis misisti. Nunc Deum æternum patrem Domini iesu oramus, ut uos omnes incolumes reducat, feliciter constituta inter comites Mansfeldiæ cõcordia. Hic Dei beneficio tranquillitas est, & ut sit diuturna Deus faciat. Adhuc etiam de cõuentu ad Danubium silentium est. Mortem ducis Luneburgensis, boni principis, qui Deum uero pectore coluit, ualde lugemus. Deus seruet & regat ceteros principes, amantes Ecclesias Dei. Bene & feliciter uale. Vltimo die Ianuarij.

Nepotibus Spalatini S. D.

Bene fecistis, quod auunculum uestrum de mutatione